




Cont. 12 Mr.

Mg  
Sammelband 31




















No 1283 1/2 P  
20

INGRESSUS  
ILLUSTRISSIMI AC INCLYTISSIMI  
DOMINI, DOMINI  
STEPHANI  
IN  
CZARNCA  
CZARNIECKI  
TERRARUM RUSSIAE  
PALATINI  
Petricoviensis, Covlensisque & Ratnensis  
PRÆFECTI  
LEOPOLIM  
Metropolitanam ejusdem Russiae  
URBEM

Post  
Hungaros, Cosacosque, & Valachos  
ac Moldavos  
Insignibus aliquot cladibus  
affectos.

Anno Victoris & Triumphatoris  
CHRISTI JESU 1657.

---

DANTISCI,  
Sumptibus GEORGII FORSTERI, S. R. M. Bibliopola,  
M. DC. LIX.





AD  
PERILLUSTREM & MAGNIFICUM  
DOMINUM, DOMINUM

J O A N N E M

DE  
R U S C A  
C O M I T E M  
B R A N I C K I

PRÆFECTUM CHECINENSEM

**Q**uam Inclytus SOCERTuus, GENER  
Inclyte, Famã sibi devinxit, tantum  
Svadã, & Pennam. Dicit siquidẽ scribiq;  
par est, quæ geri constat. In Virtutem atque  
felicitatẽ delinquit, quisquis strenue, ac for-  
tunate acta ignavo seu labio seu calamo pre-  
mit. Euntes ad solem sequitur umbra: ince-  
dẽtibus per gloriã comes est invidia, hæc pu-  
blica lux discutit, stylo vibrata, & praelo.  
Jam vero Illustris: Noster CZARNIECIUS  
ita



ita radiis meritōrū, livoris nubeculas aut  
penetrat aut fugat, nulla ut tam vasto Lu-  
mini obftet caligo. Hujus tamē ipsius splen-  
dores eruditorū affectus, conatusq; Litera-  
torū in ultimā diffundent posteritatem. Et  
quanquā nec propositi, nec consilii sit inpræ-  
sentiartū mei, Claris simū Lechiæ, quin Eu-  
ropæ sidus palàm dare: Rusfico nihilominus  
non olim Climate conspicuū si proponā Orbī  
haud inconsultū prudentia meritō arbitre-  
tur Quibus itaq; circumfusus Leopoli ful-  
goribus sese sub oculos nuper exhibuerit,  
velo veluti remoto, palàm demonstro. Ac ne  
rem Verbis involvā, Ingressum illius in Me-  
tropolitanā Roxolanorū Urbē PERILLUS-  
TRIS DOMINE habes. Spectator eras, & au-  
ditor; esto Lector idē atq; Censor: Tibi glo-



ria PARENTIS ( hunc enim experiris ) vici-  
na, quia propria est: Te pompa æquius, quã  
ceteros, delectet. Utriusq; scena patuit illo  
temporis per quam ampla. Virtutũ in super  
tanti HEROIS, PATRISQ; Tui gnarũ imitator,  
quicquid ei à honorũ studiis præmiũ fuit im-  
pensum, in laborũ, in sumũq; Tuorũ quã so-  
latiũ, quã illicitũ trabes. Nimirũ honores di-  
gnissimo PARENTI Tuo collati, dignitatis Tuæ  
omina sunt, & prosperitatis. Sed enim non  
concinno Tibi Tuorũq; SOCERO nunc elogia, tẽ-  
pori sepono aliũ, ac labori. Interea tantillum  
mentẽ altã ubi moves, hæc ipsa, quæ renar-  
ro, nota Tibi cum præsens interes ses, memo-  
rabis. Auge porro Virtutes, dotesq; in-  
signes. Simul dum gratus esse omnibus per-  
gis, diu Vive, Vale, ac Vige.

ILLU



ILLUSTRISSIME  
Domini, Domini  
STEPHANI  
CZARNIECKI  
RUSSIÆ  
PALATINI  
IN  
METROPOLIM ROXOLANAM  
INGRESSUS.

**A** Derat septimus Augusti mensis dies, ingresui destinatus, sudo præter spem, ac opinionem, serenoque cœlo; hesternus enim integer pluvius fuit. Sub cujus tamen meridiem ILLUSTRISSIMUS Rzesnampagum milliario à Civitate remotum accesit, ibidemque noctem ipsam egit. Plausus interim militaris è tholo turris publicæ datus, tympanis, tubisque ad horam noctis primam personantibus, sæpe repetitus.  
sed,



sed, aderat dictus dies. qui postquam illuxit, gaudio quodam, & hilari tumultu fervere compita, coetus artificum ad ordines evocari, appararique pompæ omnia instituerunt. Horas aliquot, pro more, tenuit expectatio; utque Hospitis, ac Victoris desiderium acueret mora. Tum verò itum obviam Palatino in campos, educti sub signis opifices, Urbis magistratus rhedis vectus, splendida nobilitas equites procescere. Pansum erat, fixumque in planitie tentorium, iis, qui occurrebant, meta, Hoc igitur spatium Urbanus cum Primoribus substitit peditatus; Nobiles longius progressi, utriq; porro facundas pro communi statu dixerunt salutationes: Procerum quidem nomine, Perillustris, & Magnus Dnus Petrus Ozga Succamerarius Terræ Leopoliensis. Civium verò, Clarissimus, ac Excellens Dnus: Valerianus Alembek, Vir Consularis. Cæterùm dictio amborum, utpote Vernacula, huc non inferenda. Nec separata defuerunt officia ex officialibus nonnullorum; quos inter præcipuus Perillustris & Magnus Dnus: Joannes de Magna Konczyce Mnischek Loci Capitaneus, atq; tum  
Præsi-



præsidii simul Gubernator. Hisce ita transactis tota sese ad Civitatem vertit pompa, serie, quam renarro. Præceserunt turmae pedestres, ex opificibus coactæ, militarem in modum instructæ, & admodum numerosæ. Illas Armenorum phalanx subsecuta, qui Viritim adspectabiles, Turcicis, Arabicisque equis, & armis, & phaleris usi, cultu pars Persico, pars Thracico insignes, gratam omnibus objecere scenam. Suppar iis cohors è Civili Juventute lecta, numerusque suppar: ducentos circiter in utraq; annumeravisses. Sed hæc altera patrio vestitu decora plus splendoris habuit, quàm apud spectatores favoris. Tandem centuria militum una, tubas inter, ac tympana solitis ordinibus, ut in arenam, successit. Illam trecenti pluresve, quàm milites, quàm nobiles, pro se quisq; pulcherrimo apparatu ad usq; admirationem conspicui, sunt comitati Rapiebant non oculos modò sed insuper animos singuli, & detinebant ita, ut ab alijs ad alios avocarent. erat siquidè & quibus inhæreret jucundè, & ad quæ cupidè properares; varietate videndorum simul oblectante visum, simul confundente.

Et



Et jam frequentes retrò Centuriones, Chiliarchas arcium, ac urbium Præfectos Palatinus ipse, veredo, quem in prælia crebrius adhibet, duobus longè prorsus excellentissimis tibicinibus suis lætùm præcinentibus, invehebatur, armatamq; & ornatam ostentabat gravitatem. Vallis, ac muris vicinior, machinis tormentisvè bellicis ultra centenas vices salutatus est; undiq; in circuitu detonabant. Repetitum idem, ubi portam iniit, quæ Haliciam spectat, quod ipsum & iterùm iteratò factum est, ad Basilicæ scilicet Cathedralis ingressum. Namq; huic propior factus equo defiliit, & longis ordinibus militum ac Procerum pedester à pedestribus item in Ædem deductus est. Præstolabatur inibi Perillustre Capitulum solemnibus habitu fulgens; Magistratus quoque Civilis, & plebs conglobata. Introgressum nomine Canoniorum salutavit Perillustre & Admodum Reverendus Dnus Albertus Piglovvski, Canonicus & ipse, ac Ordinarius Ecclesiastes. Sic autem sese oratio habet.

„ Hoc erat, quod Virtuti Tuæ debebatur, ut hic  
„ principatum senatoriæ dignitatis obtineres, ubi felici-



licibus auspiciis PRINCIPIS Nostri Co-  
ronam Laureis cumulâsti, ILLUSTRISSI-  
ME DOMINE. Et quid in summa se Tibi  
demittant, cujus fortitudini debent, quòd adhuc  
hostili rabiei in spolia non ceserunt. Quo factu su-  
perbus ad Coronam ruebat, eodem, quicquid infra  
hanc erat, proculcandum sibi destinaverat: nisi Tua  
Virtute præventus didicisset; & spes impias rarò  
felici eventu finiri; & fortitudini tuæ nondum ter-  
minales columnas esse præfixas, quin illam Plus  
Ultra, quàm putaverat, factis extendere posses. Scio,  
cum laudaris, erubescere verecundiam Tuam. Ve-  
rum in Verba prorumpit animus; sitaceat, læsæ  
gratitudinis reus. Magnæ Magnorum Virorum,  
calamitosis hisce Patriæ temporibus enituère Vir-  
tutes, suspicimus vicina cœlo nomina. Tu Hero-  
um Maxime is es, in quem jure cadere posfit,  
quod olim conservatori Patriæ canebatur: Decus  
immortale Tuorum. Emarcuerat ad insperatum,  
Suetici prædonis exercitum Patria; Jam ille de Ma-  
jore Polonia triumphator Vicina urbis Regiæ pro-  
spectabat Confusa Nobilitas, parata sub signo coa-  
lescere

B



„lescere , huc illuc incerta Ducis volvebatur. Tu  
„primus adfuisi , primus restitisti, primus ostendi-  
„sti, posse tumorem Sueticum sanguine restinguis  
„cujus eousq; negutta in hostico amissâ,tum primùm  
„mirati sunt, Manus & arma Polonis esse, nec ab o-  
„mnibus adhuc fortunæ suæ litari. Tunc materies  
„historiarum esse coepisti, duratura, quamdiu hæc i-  
„psa anima tempora animabit. Et quas Tibi laure-  
„as non nectat Patria, quam ne de toto perennitati  
„imbellis esset, vindicasti. Scribetur (vel jam, ni  
„fallor scribitur) Suecum præproperâ fortunâ, ferme  
„uno ictu Poloniam prostravisse. Sed qui hæc effun-  
„det calamus, idem ille magnum Te Sueticis conati-  
„bus impedimentum fuisse testabitur. Permite nos  
„Senator Amplissime, in Tuis virtutibus spatiari. Ve-  
„neramur Constantiam tuam, quam licet grandibus  
„toties tentata in promissis, nihil umquam labefacta-  
„re potuit, quin pro Deo, & Christo ejus inconcus-  
„sa persisteret. Amplectimur dexteritatem, quasi  
„non vinceret (quantulæ enim aliquando ad quan-  
„tas tuæ copiæ!) tamen ubiq; fortis, ubiq; grandium  
„virium imminutor gravis extitisti. Quis vero in-  
victis.



victissimi animi Tui ad Varcam vigor, quando pœ-  
ne totum robur hostilis exercitus ita prostravisti, ut  
vix nuntius cladis superesset? Vidimus non acie tan-  
tum, verum & animo, ita dejectum hostem, ut vix  
sui compos, limphato similis, huc illuc discurreret,  
porrecturus infallibiter tunc herbam, nisi aliò Te alia  
consilia avocassent. Ita timor, & tremor tumida,  
illa oppresserat corda, ut turpissimâ se, ultra Vistu-  
lam, fugâ proripuerint, non prius reddita sibi, quam  
Te triginta milliaribus abesse comperissent. Enim  
verò magno hæc Victoria Patriæ constitit; quippe  
contemptores nostri, qui timeri se tantùm credide-  
rant, jam absq; ulla dissimulatione tremebant; Vasto  
primùm, per silentium, die, aperto deinceps fugien-  
tium pavore terribili, Ille dies Tibi dum æternum,  
& annos æternos indidit, ut vivas in amoris anima-  
to coelo, in animis gratæ posteritatis. Ab illo die,  
in freta dum fluvii current, dum montibus umbræ  
lustrabunt convexa poli, dum sidera pascent; Sem-  
per honos, nomenque Tuum, laudesque manebūt.  
Satis immortalitati litaveras: Verū Tuus erga Patri-  
am amor altius volitabat. Unum erat, quod a vebat  
B 2 hostis,



„ hostis, expilatis Regni thesauris, restabat adhuc u-  
„ niversæ Poloniæ gaza; Portus, atq; adeo totum Pro-  
„ montorium Gedanense. Jamque milvus ille immi-  
„ nebat huic pullo. Dum tu distractis primùm illius  
„ viribus, per immortalis memoriæ Virum Nicola-  
„ um ab Ostrorog, illos ipsos, alioqui firmos, ita solidâ-  
„ sti, ut veluti annosa valido cum robore quercus,  
„ Aquilonari impervii procellæ, documentum po-  
„ steris extiterint, quantum solida in Dominos fides  
„ possit. Dies me deficeret, si enumerarem pal-  
„ mas Tuas: Sicut ista palàm iis ipsis, quas reparasti,  
„ reparasque quotidie, Poloniæ Aquilæ subvectus  
„ alis, pones inter sidera nidum Tuum, ultra invidi-  
„ am, & livorem. Quid vero Tuo labore redditus  
„ Poloniæ suæ Serenissimus Rex noster? O Te di-  
„ gnum triumphali Apollinis curru, cui non absi-  
„ milis, vix non ad ipsius passus cursum Tuum forma-  
„ visti! Hostis obsidebat omnia, viarum incommo-  
„ da, commeatum difficultas. Vicit iter durum  
„ pietas. Volasti potiùs, quàm ivisti. Non inutilis  
„ conatus fuit. Reddidisti Patriæ Patrem, Ecclesiæ  
„ defensorem, populis Regem. Tibi hoc nomine

nos



nos ipsi quoq; debemus, quotquot sanctiori To-  
gæ militamus, jam Rege tamquam clypeo tutiores,  
ne in victimas perfidiæ cæderemur. Nam illa se-  
cura sui non erat, quamdiu cum Rege Catholico,  
staret Ecclesia. In pleno gratiarum vultu tuo,  
exosculamur dispensatricem gratiarum Divinæ bo-  
nitatis dexteram, quæ noctem nostram convertit,  
in diem, & rursus post tenebras dedit lucem. Ii,  
ipsi quibus nunc sol noster nitescit, acciti à Germa-  
nia radii, adduci sine Te non poterant. Tantum,  
est Virtute clarere, ut vel extraneorum oculos in  
sui splendorem alliciat. Suspendebat olim vetus,  
fabula aureâ de catenâ Deos, Deasque. Tuum,  
est, extra fabulam animos vincere, & vincire. Quid,  
enim? an non victi, & vincti, quos extraneos in au-  
xilium spei nostræ, magna ex parte, Tuæ virtutis,  
fama protraxit? Quid mirum? Vivida est: notior,  
quam ab invidia premi possit. Quantum verò,  
gravis hosti, docuit Transilvanus, qui sive splen-  
dorem Tuum, sive manum ferre non valens, um-  
bras montium petiit, æternis ignominix tenebris,  
involvendus. Hic ego nec verecundiam Tuam,



„ onero, nec alicubi à latere latitantem accendo in-  
„ vidiam. Difficile de Pomo Aureo iudicium, nisi,  
„ quod, ut plurimum datur pulchriori. Scio, spretæ  
„ injuriam formæ causas irarum præbere. Nihil  
„ igitur super hoc, Tua mihi, ò Magne Heros, tua præ  
„ oculis forma: qui frigora sæva pati doctus, non  
„ cedere nimbis, æstivum tolerare jubar, transire so-  
„ noras torrentum furias, ascensu vincere mon-  
„ tes, planitiem cursu, valles, & concava saltu, me-  
„ ruisti per tot adversa, ut jure, & justè lauderis. Per-  
„ mitte Illustrissime Domine, Ecclesiasticum Ora-  
„ torem sanctiori eloquio te affari. Tu es ille Vir  
„ bellator ab adolescentia Tua. Tu es illa Petra, su-  
„ pra quam & Regni basis fundatur, & ipsa Domus  
„ Domini, quæ tibi hodie, toto cordis affectu uti gra-  
„ tulatur, id quod pro meritis tuis asecutus es, ita se  
„ Tibi intimo commendat affectu; suum ut patro-  
„ num ubiq; agere non dedigneris. Tu es illa Co-  
„ lumna aurea super basim argenteam, cui pro coro-  
„ na capitis scribet æternitas: In diebus suis suffulsit  
„ Domum. Tu es Filius sapiens, in quo, jure gratu-  
„ latur Mater Tua. Quid moror? aut ubi sum? Tem-  
pus est



pus est Te Tibi, Tuisque gravissimis curis reddere. „  
Alloquētis Te, nec nō benedicens Tibi Ecclesiæ „  
verba filiali excipe affectu: Tu gloria Jerusalem, tu „  
lætitia Israel, Tu honorificentia populi Tui. Quia „  
fecisti viriliter, & confortatum est cor Tuum: I „  
deo & Manus Domini confortavit te, & ideò e „  
ris benedictus in æternum. De meo addo: Fiat, „  
Fiat, Dixi. „

Respondit Illustrissimus Patrio idiomate fa-  
cundo, & rotundo, atq; ad dimidium quadrantis  
horarii producto. Dein sanctissimo Misæ sa-  
crificio pie adfuit, quod Perillustris & Admodum  
Reverendus Dominus Lucas Witkowski Deca-  
nus celebravit. Interea forum pompæ plenum  
erat; machinæque è vallis, turribus, ac portis ad  
horrorem continuò fere auditæ; ponè Curiam ve-  
rò quinq; Campestris simul explosæ quinis vici-  
bus per intervalla. Jam duæ Husarorum turmæ,  
Prætoria seu Regalis altera, alteraque ipsius Pa-  
latini, quæ tergo ingredientis Urbem succedebant  
in amplitudinem fori productæ ac explicatæ; Ti-  
gridum, ac leopardarum pellibus primi ordines  
tecti



tectis alios urforum, luporumque villi vestiebant  
Clausit agmen Germanicus Illustrissimi equitatus,  
sexcenti tum duntaxat censebantur. At verò Pa-  
latinus sacro Missæ perfinito, Hymnoque Divo-  
rum Ambrosii & Augustini solemniter decantato,  
in Aulam Archiepiscopalem palàm per Civitatem  
procesfit, ab iisdem, qui Templo induxerant, ad  
usq; lapideam deductus. Cui Cives vexilla in si-  
gnum venerationis summisère, fistulis præterea  
manualibus, seu bombardis lætitiã testati. Ma-  
chinæ rursus exoneratæ; rursus Musica Militaris,  
& applausus insonuerunt. Digressi deniq; iisdem  
quibus venerant ordinibus, tum in suburbana, tum  
in hospitia, domosq; milites, & nobiles, ac Ci-  
ves. Et Nobiles quidem Milites ad convivium  
eo die invitati adfuere frequentissimi, propeque u-  
niversi, splendide habiti, ac tractati. Proximo  
mane adiit Illustrissimus Templum Societatis JE-  
su, quem, ad limen primum Adm. Rev. Pater  
Præpositus per Poloniam Provincialis cum dome-  
sticorum cœtu excepit; mox introgressus totius  
Collegii nomine salutavit hunc in modum R. P.  
Andreas Sikorski.

*Illust*



Illustrissime Heros, & Domine

**E**st suum fatis quoq; fatum. Grandia plerumq; mala si-  
ve tempus minuit, si ve difficit Virtus. Ut, quæ apicem pre-  
mit prosperitas, in ima sæpè labitur; sic adversitas exaggera-  
ta suis se cumulis obruit, ac involvit. Hæc sunt oracula sapien-  
tiæ, hæc experientia documenta. Quid vetera memorem?  
Soles nuperos testor solitò nobis sereniores, benigniusque calum,  
afflictam humo non olim Patriæ fortunam, Tuis recens erectam  
armis; at, qui caput extulerat, hostilem fastum iisdem prostra-  
tum. Per vagatus amplissimas Regni Provincias Vicinorum  
exercitus, jamque, contra spes nostras, impunè redux, ad arētis-  
simas demum à Te coactus incitas atq; angustias, spoliis ac preci-  
bus superstiri vitæ litavit. Haud vidisse quidem Polonum  
militem gloriabatur tumidus; jam sensisse insuper timidus reco-  
gnoscit. Quamquam visum illi nunc etiam agmen nostrum an-  
nè fuerit, cui rarò frontem objecit, crebrò dorsum? Servilis tur-  
ba plagis tergora exposuere libentius, quam pectora Viris. Vcl  
ad nudum nempe acinacis Tui fulgur commitebant; & quidni  
formidando radiorum ictu mox exanimandi. Quod Persei scu-  
to, id ferro ivesit Tuo: in rigorem eunt, qui spectant; nec animos  
solum, sed animas etiam perdunt. Atq; utinam torpor ille Si-  
pyliæ Niobi persimilis, vico fixisset fugaces, neq; timoris impe-  
tus spirantia istæc volvisset saxa! in primo certè praliorum ag-  
gressu, felicitatis publinegotium confecisses. Atqui famæ in-  
tererat Tuæ, tardio rem esse Victoriæ, quo illustrior foret. Ex-  
exercuit dies aliquot denos formidinè eorum, Tuamque fortitudi-  
nem pla-

C

nem pla-



nem plānum, donec ad gloriæ metas commune adeset Tuis viri-  
bus junctum robur. Nec enim is oppido es, qui praripere aliis  
famam velis. Tuq̄ unius vendicare labori. Advocas, quin  
in vitas ceteros in consortium, atq̄ arenam, dum licet, socias; lau-  
dis Victor idem, & hostis; veniam item aq̄e facilis indulgere  
postulantibus, atque contumacibus inferre vindictam. Profe-  
cto vir Illustrissime, continuus in opere Martis hæcenus desuda-  
bas, prælia desuerunt Tibi Tu nulli. Livor in Te citius in-  
fringet, quam imprimet dentem. Illis duntaxat obnoxius es, quæ  
ab affectione veniunt, non à ratione. Talem tantum Te com-  
plectitur Lechia, talem tantum Russia veneratur; Strate-  
gum illa suum, ista Palatinum, Patronum utraq̄, immo Patrem.  
Ingredieris hanc in Metropolim, an importaris? Humeros Tibi  
sanè Leopoli, ut servatoribus quondam suis Roma, supponit,  
nisi aliis famæ sustentari consultius videatur, ut, quem orbi di-  
stulit universo, uni hoc eadem inferat & Urbi. Referat, di-  
cturus eram; pridem enim illatum Te noveris in eorum sensu,  
& affectu, de quibus plusquam optimè meritus es. Ex quo  
arma fortunæ cæpisti conciliare diu averse, corda insedisti Ci-  
vium, ac incolarum inde jam Te illis videre ambitio, nosse felici-  
tatis est. Gravius testimonium venit à populo levi, Virtuti-  
bus catervatim cinctum esse oportet, quem cuncti colant. Tibi  
fatalis apud omnes honor est, atq̄ amor; nam & Virtus, glo-  
riaque fatalis. Numquam Te destituit par illud, semper est  
comitatum. Et verò benignum ego fatum interpretor, si mul-  
ta tentanti fors respondeat ubiq̄. Illud Tu Tibi amicum pie-  
tate facis, & propitium; ubi armatum non caside, sed favore cæ-  
lesti ca-



lesti caput periculis inferis: Studiis in Deum toties pro machinis  
usus. Exiis es, qui fronte non fingunt animos; quorum tamen  
facilitate liceat haudquaquam ad levitatem abuti. Candor in  
Te mentis simul, & oris; moribus Herodæ dignissimis colluces:  
& honorem Tibi, amoremque non devinxeris? Iterum de volvor  
ad beneficia in nos Tua, Superi quam ampla! Dixit Hectorem  
suam Troja manum: Tu Lechia Manus, neq̄ unus à Te Patro-  
clus, hocce præsertim decennio prostrigatus. Flagitaris idem-  
dem Polonus Alcides ad secandam, urendamque hostium hydram,  
quæ, ingens monstrum! Multis capitibus in unum coalescit cor-  
pus. Dediti rara, nec raro signa, quantum Lernæum hoc exe-  
creris, ac insecteris portentum. Ite agmen rebelle Cosaci; le-  
ves animæ Valachi, Moldavique ite: Moscus non tam gelu suo,  
quam nostrorigeat metu: ad Balticum Suecos, ac Borusos re-  
trahat formido. Ite in ludibrium Orbi, nobis in lauream, Heroi  
CZARNIECIO in triumphum. Longus sim, siclades vestras  
recenseam ab ejus manu acceptas. Ubi Europa, Asiaque fa-  
cundè perorant, & publicè, privata bene taceat suada Recens  
in super victoria, ut, me iudice, compendium est Victoriarum,  
ita limes dictionis esto, ac meta. Quamquam paululum extra  
hanc, Illustrissime Domine, liceat evagari. RATIS Tua Ma-  
ri Rubro navigat, quod Tuusmet refundit Mucro. Regiam di-  
gnitatem, & Libertatem patriam, merces maximas, ad felicitatis  
portum vehis; vere Stephanus apud quem Stephanoma Ca-  
piti Principis à Numine impositum cordi est: Stephanus vere,  
qui vivace semper lauru, Tua, & seculorum tempora coronas.  
Sed Tua, Illustrissime Heros, elogia Mortalitas auspiciatur, i-



*psa est aternitas consummatura. Et Virtutibus, ac Victoriis  
tamen Tuis clarus, nostris utut ornari officijs præconis que debui-  
sti. Age jam, Martium pulverem excute vel leviter; Et quo-  
ad publica siverit calamitas, respira. Nec illud dissimulem à  
favore Tuo precari, ut Societatem nostram, Tua meritò gesti-  
entem, Et applaudentem, qua Opera, quâ Fortunæ, qua Gloriæ  
benevolus amplectaris; Id quod Vovet, p̄scit, sperat.*

Ad hæc reddidit plena dignitatis, & in Patres  
dignationis responsa Illustrissimus, Polono, per-  
quam diserto cæteroquin stylo. Pòst Pietati va-  
cavit, & Sacrificio interfuit Divino. In abituri  
conspectum Juventus Collegii producta, è cujus  
coetu ab uno sic salutatus.

*Felici, ac fortunata navi, per tot bellorum voragines,  
ad portum Palatinatus Tui appulisti, Illustrissime Domine.  
Quidni verò Cælitum, ac omnium nostrum votis, pro quibus ve-  
lificabas, adjutus, destinatum sudoribus Tuis attigisses levamen-  
tum? Et sanè, immortalibus, totius Poloniæ suffragio, conde-  
corari debueras honoribus. quia tamen grata ac memor Patria  
in ea temporum malignitate, imparcem se meritis Tuis agnoscit;  
absolves tenuitatis consciam, vocalis fama præconio per omni-  
um populorum ora celebrandus: Præliaribus undiq̄ circumfusi  
fluctibus misero periissemus universi naufragio, si tui navigii com-  
pagibus tot scyllas, ac charybdes non declinavissemus. Et quia  
Bellona*



Bellona remos, industria rudentes navis Tuæ tenuit, desperata, & deplorata Poloniæ integritas, in eadem reposita, vigori suo restitui cœpit. Nescio quam salutis navim Athenienses olim venerati sunt. CZARNIECIANAM, Gentilitiam scilicet Tuam, Illustrissime Domine, si præsagi accuratius inspexissent, Magnos servatam in Polonia usus, utpote innumeratas Polonorum salutes continentem, non ex vano nunc mirarentur. Fatalis illa piratis Septentrionalibus, quos in media quoque hieme adeò elusit, ut qui Serenissimum Poloniæ solem tenebris suis ad mare Balticum obscurare conati sunt, miro revera fato glacie promovente ausum, in Poloniæ transportavit Zodiacum. Neque verò somniati aliquam Patria Nostra navim Boni nuntii, abunde hoc decennio spectavit, per obstantes procellarum vortices volantem planè Gentilitiam Navim Tuam, quæ vela sua quocumque dirigere attentavit, exoptatum tranquillitatis publicæ munus vel præmisit, vel attulit. Illi ipsi, quibus è Tuis auspiciis, ante dies aliquot, recreati sumus, palmares confictus, à Tuâ navi ut ortum ita exitum habuerunt; ut jure merito singuli fateamur, navim Tuam, quod olim apud Gallos, navim Victoriæ existisse. Reliquum est, quandoquidem regere, & gerere bella, judicio orbis meruisti; perge secundis aribus, Martiales cumulado laureas. Nos quicumque in Palladis arena exercebamur hætenus, vel Tuis immorabimur fastis, vel factis immoremur. Dixi

Benevolè, ac eloquenter adolescentum cætui ab Illustrissimo responsum est. Actæ sunt quo-



que hic etiam DEO gratiæ pro victoriis novæ  
partis, & TE DEum laudamus à frequentibus  
Musici personatum. Ad epulas, hoc altero die  
invitati ultra Illustrissimum Ducem Demetrium  
WISNIOWIECKI & aliquot Capitaneos, Cano-  
nici omnes, Præpositi Religionum Provinciales,  
qui præsentibus interfuerunt quatuor; Superiores item  
Religiosorum Leopoli agentium, nec non Magistra-  
tus Civitatis. Denique Illustrissimus tres Leopoli  
moratus dies, ad Serenissimum, literis ( quibus e-  
tiam labores illius gratissimos sibi Sacra Majestas  
Regia testabatur) evocatus, ac invitatus, Craco-  
viam versus properavit, minori, quam ad venerat,  
insigni tamen, ex urbe, comitatu reductus: quem  
votis infimi, mediique ac supremi faventibus cer-  
tatim universi prosequerentur

Vale, Lector, & scriptori fave; nam ut id CZAR-  
NIECIO præstes, nisi capitalem Poloniae, quin  
Eclcesiae hostem agas, rogandus aut monendus  
non es. Id dum sentis, è vero sapias. Iterum vale.

COR O.



CORONIS POMPÆ

DISTICHA

seu

ACCLAMATIUNCULÆ

superioribus non absoræ dictis

I.

*In Virtutem.*

Troja suam dixisse Manum quondam Hectora  
fertur.

CZARNIECIUM Lechiæ quis neget esse  
Manum?

II.

*in Vultum.*

Martia Progenies, CZARNIECI, Martius Heros  
Diceris: ipse tamen Mars mihi veriùs es,

III.



## III.

*In Nomen.*

Regalem fulcisanimo, ferroque Coronam,  
 Scilicet es STEPHANVS nomine, re STE-  
 PHANUS.

## IV,

*In Stemma.*

Quò Navis, campo, non æquore bella gerenti?  
 CZARNIECII Campus sanguinis æquor habet.

## V.

*In Idem.*

Euxino quædam ferri, quædamque Britanno;  
 Ista, mari Rubro scitque, soletque Ratis.


## VI.

*In id ipsum.*

Jafonio merces de vecta sit Aurea Lembo:  
 Aurea Libertas Remige vecta Tuo.





















Ma 3903

ULB Halle

3


003 924 343



VD17









No 1283 / 20

INGRESSUS  
ILLUSTRISSIMI ac INCLYTISSIMI  
DOMINI, DOMINI  
STEPHANI  
IN  
CZARNCA  
CZARNIECKI  
TERRARUM RUSSIAE  
PALATINI

Petricoviensis, Covlensisque & Ratnensis  
PRAELECTI  
LEOPOLIM  
Metropolitanam ejusdem Russiae  
URBEM

Post  
Hungaros, Cosacosque, & Valachos  
ac Moldavos  
Insignibus aliquot cladibus  
affectos.

Anno Victoris & Triumphatoris  
CHRISTI JESU 1657.

DANTISCI,  
Sumptibus GEORGII FORSTERI, S. R. M. Bibliopole,  
M. DC. LIX.

